


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a-231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



333

ignem exstinimus sine omni clamore et tumultu et focum removimus, per spissum enim fundamentum sub igne trabes incensi fuerant, et haec fuit causa, quod titiones sub cineribus ardebant, quia ab inferioribus spiraculum habebant. Cum ergo totum exstinissemus, dixit dominus domus ad me: o Felix, quam felices sunt matutinae et vigiliae tuae! Per eas domus mea et tota civitas ab incendio liberata, et nos omnes a confusione et periculo. Cui respondi: adjutorium nostrum in nomine Domini. In bona profecto hora surrexi, si enim ad sextale unius horae mansissem, domus tota ignea fuisset, et per consequens domus contiguae, erat enim domus tota lignea et antiqua, de aridissimis lignis, vallata sibi similibus domibus in vico stricto et arcto, et ingens ventus, qui ad statim ignem per totam civitatem detulisset: nescio, qua parte nos incendium potuissemus evasisse, sed simul periissemus, et si fugae locus fuisset, Graeci incensam suam civitatem videntes nos absque dubio in ignem injecissent vel in vincula conjecissent pro extorquenda pecunia in recompensationem nocumenti. Cuncti ergo, cum dies facta esset, benedicebant Dominum, quod nos a magno liberavit periculo in die isto. Deduximus ergo et hunc diem simul et laeti fuimus, quod non eramus in mari, propter maximam tempestatem et ventorum vim (188 a).

Tertia decima die, quae est festum S. Luciae virginis, erat procinium ad fratres Praedicatorum, ad quorum ecclesiam transivimus et divinis officiis interfuimus. Quidam etiam milites peregrini mane confessi sacram communionem receperunt in eadem ecclesia, de licentia tamen domini vicarii episcopi Metonensis. Finito officio et prandio sumto ecclesias civitatis Metonensis visitavimus et primo in ecclesiam cathedralem transivimus, quae ad S. Johannem dicitur, in qua reconditum est corpus S. Leonis, cujusdam peregrini teutonici. Puto autem illum fuisse peregrinum, qui inter Turcos mortuus non paucis claruit apud eos miraculis et postea ad Metonam per Christianos fuit translatus, de quo Anton. in Chron. P. III. Tract. 19. C. 8. §. 12.

Vidimus etiam in illa ecclesia caput Anastasii, episcopi Alexandrini, et duos digitos S. Cosmae et Damiani. Transivimus etiam extra urbem, ubi fratres Minores parvum conventum (habent), et inde ad vespas venimus ad ecclesiam Praedicatorum et auditis

344

342

348

338

353

333

393

293

443

243

Ende

Anfang